ACAD.
LUGD.BAT.
BIBL.

Nobilissimo Viro D. Constantino
Hugenio Eq. Zulichemi & Zeelhemi
Dno &c. Caspar Barlaeus S.P.D.

Nobilissime Domine,

quem coram vides, Ruysius est, collega noster et operum in Illustri hac schola socius. Jurisprudentiam docet non sine studiorum applausu, & iam per annum ferè spe ordinariae professionis iura locutus publicè fuit. Nec dubito de successu, cum iam in eo toti sint Primores huius urbis, ut dimittant Oratorem illum, de quo aliquando Hagiensis poeta acutè cecinit: An dixit illa Rhetor an singultit. Illo dimisso non longa erit de hoc successore deliberatio, cum ob eruditionis, facundiae, modestiaeque laudes gratiae et publicae senatorum & privatae studiosorum insertus sit. Hoc à me petiit, ut N. Tuae tradi possit, primusque illi ad te aditus per me pateat. Non negabis illum viro litterato et variarum linguarum cognitione instructo, et mihi ac collegae D. Vossio coniunctissimo, qui tot aulicae et castrensis farinae hominibus aures foresque aperis. Sed desinam inferre in amicitiam tuam per epistolam, qui ipse sui apud te erit epistola, et Suada et amicitiae conciliator. Vale Vir maxime, & me ama. Amstelod. 3 Martij 1646.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 173
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4280

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 173
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4280

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 173
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4280

Nobiliſſimo viro,
D. Conſtantino Huygenio Eq.
Zulichemi & Zelhemi Domino,
Celſiſſimo Principi à conſiliis
& ſecretis.

Hagam

p amicum

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 173
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4280